

possunt allegari ad intrinsecum objectum, tenentium Ecclesiam typicam & sacrificiis oneratam, in quibus praecipuam partem effusionem sanguinis confecisse, vel ex antitypo patet *Hebr. IX, 22. 26. seq.* Quibus expressa lege est impositum discrimen carnis & sanguinis, illi citra grande peccatum non negligunt discrimen; inter quos autem ratio discriminis exspiravit, illi firmiter pro æquitate utriusque depugnare necessarium habent. Quid nutrimenti caro præ sanguine afferre possit, ego nequeo disputare, nec volupet nunc est evolvere auctores, qui aliquid hic possent elargiri; Id certum habeo, sanguini, ut inter Christianos in usu est, non posse nutritionis vim adimi. Et possum mihi facere satis hic Excellentissimi Dn. Disquisitoris effa-

*Disq. p. 63. to; Divina edita ad sententias & observationes Medicorum exigere non posse.* Sin igitur tantum non præstat nutritionis aut commodi sanguinis sumptus, quantum caro, sufficit discrimen utriusque ratione usus liciti & illiciti, (sublato seu impletō typo, quæ erat ratio discriminis) esse remotum, & ita usum alterutrius, quod ad libertatem attinet, æqualem esse. Ita causæ forsitan *naturales* dari possent, quæ electionem carnis præ sanguine sfaderent; non autem possunt dari *revelatae*, quæ sanguinem præ carne noxiū moribus & pietati Christianæ assererent. Si gula, si intemperies morum proportione adstinentur, cur illa sanguini magis, quam carni adscribentur? Sin autem utriusque pars est ratio, cur non ab utraqve, ad methodum Porphyrianæ & Carthusianæ abstinentiæ, animi alienantur? Multos ab utroque pia continentia, sed pro libertate abstinuisse, vel exemplo Apostolorum, Sanctorumque Anachoretarum multorum satis constat, a sanguine autem per præceptum Divinum necessario abstinuisse Apostolos, horumque debuisse se abstinere successores auditoresque, nec scripturarum verbis, nec rationis argumento evidenti evinci poterit. Quamvis de abstinentia Apostolorum perpetua a carnibus nihil lectum mihi sit, probabile tamen fuerit per abstinentiæ amorem ex libertate identidem omissas esse carnes. Christus invitatus

fane